

2  
58





Fa. 244.

Q.





617.

3

Q. B. V.  
DE

**MONTIUM IN-  
CENDIIS**

*DISPUTATIO PRIMA  
eaque*

**Historico-Geographica,**

*quam*

*publico examini submittant  
Ad diem 24. Martii.*

Annò Æ. C. clò lcc LXIII.

**PRÆSES**

**M. THOMAS ITTIGIUS**

Lipsiens. Al. Elect.

**ET**

**CHRISTOPHORUS VVITTIGIUS**

Holz.

H. L. 2. C.

---

LIPSIÆ,  
Typis JOHANNIS WITTIGAU.

45





PROTOSYNEDRII  
ELECTORALIS SAXONICI  
PRÆSIDI EMINENTISSIMO  
PERILLUSTRI AC GENEROSISSIMO  
DOMINO  
DN. CAROLO LIBERO BA-  
RONI A FRIESEN  
DYNASTÆ IN ROTHAVIA  
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI  
ELECTORIS SAXONIÆ  
CONSILIARIO INTIMO ET COMITI SPLENDIDISSIMO, DO-  
MINO MEO GRATIOSISSIMO.

*Nec non ejusdem*

ASSESSORIBUS GRAVISSIMIS

*Viris Maximè Reverendis, Magnificis, Nobilissimis,*

*Amplissimis, Consultissimis*

DN. JACOBO WELLERO  
à Molsdorff in Karßdorff Sereniff.  
Elect. Sax. à conf. sacr. & conc.  
aül. prim. Theologo incompa-  
rabili.

DN. CHRISTOPHORO  
BULÆO Ecclesiæ Dresdensis  
Pastori & vicinarum Superinten-  
denti vigilantissimo Theologo  
celeberrimo.

DN. GODOFREDO BE-  
RINGER Jurisconsulto fami-  
geratissimo.

DN. JOHANNI FRIDERI-  
CO HEIGIO, Jurisconsulto  
itidem longè celeberrimo.

*Dnis, Patronis & Promotoribus meis*

*Optimis Maximis*

hoc quicquid est speciminis

humillimè confecro

M. Thomas Ittigius Lips. Al. El.



PROOEMIUM.

**A**etnae montis asperitatem etiam in proverbium abiisse non obscure confirmat Erasmus 1) ex loco quodam Lucilii, quem citat Gellius: 2)

Verum hic ludus, ibi susq; deq; omnia fuerunt,  
Susque deq; fuere, inquam, omnia ludus jocusq;  
Illud opus durum, ut Setinum accessimus fines,  
Ἐπὶ τὸ λοιπὸν

Ut ajunt, montes Aetnae omnes atq; asperi Aliones.

Quicquid enim asperum, quicquid difficile veteribus videbatur, id Aetnae gravius appellabant. Unde Tullius, 3) senectus, inquit, plerisque senibus sic odiosa est, ut se onus Aetnae gravius sustinere dicant. Quid ego vero sustinere me dicam, qui Aetnam, qui fatale Plinio jugum, qui ceteros Vulcanios montes perlustrare, tantiq; miraculi causas rimari animum induxi? Audaciam meam difficere nec possum nec volo. Ipsam Aetnam, nec illam tantum, sed multos alios ignivomos montes adeoq; molem gravissimam suscepi. Non quod grave mihi molestumve sit, πᾶν τῶνοσφον hoc universitatis theatrum ludentisq; naturae specimina contemplari; gratissima siquidem voluptas animum percellit profundissime tantarum rerum cogitationi vacantem: sed quod difficillimum sit ejus rei causas invenire, quum arcanas subterranei Vulcani cryptas non corpore sed curiosae saltem mentis contemplatione subire liceat, & abstrusissimas naturae negotiationes sempiterna montium incendia artificiosissime molientis non oculis, sed altissimae saltem cogitatione penetrare concessum nobis sit, nisi metuere nolimus idem nobis eventurum, quod Avunculo suo Plinius 4) evenisse consignavit, qui nimis inconsultam curiositatem miserabili interitu pependit. Idem Franciscus Niger, referente Philotheo de Homodeis, 5) idem alii experti sunt Magno Plinio, ut nimirum discendi ardore, sic exitu aequales. Verum enim vero jucundissima incendiorum talium materies sic animum succendit meum, ut non possim non in hoc arduo naturae molimine ingenii vires tentare. Seneca 6) ad Lucilium scribens, aut ego Te non novi, inquit, aut Aetna tibi salivam movit, cupis enim grande aliquid & par prioribus scribere. Quid ego? profecto & mihi Aetna salivam movit. Cupio enim scribere, non tamen, quale a Lucilio Seneca expectavit, sed quantum atas & ingenii vires permittunt. Faveat modo coeptis Solertissimus universitatis Archi-

1) Erasmi: adag: chil. 4. cent. 4. adag. 39.  
2) Gell. lib. XVI. Noct. Att. cap. 9.

3) Cic. Cat. Maj.

4) lib. VI. ep. 16. ad Tacit.

5) in topograph. Aetnae.

6) lib. XI. ep. 80.





teſtator, qui ſicut cryſtallinos cæli fornices candentè illo primigeniæ  
 lucis vehiculò decoravit vorticibus igneis criſpatò: ſic etiam ſublunare  
 domicilium flammivomis montibus aliſq; miraculis ditavit! Antea  
 verò quàm ad cauſas ipſas accedamus, non erit abſre priùs aliquem  
 montium ignivomorum catalogum perieſcere & ab Ætnâ, cujus famo-  
 ſiſſimum incendium, ordiri.

CAP. E.

DE ÆTNA.

§. I. Sicania, quam finibus Auſoniis coherentem fluctus  
 citatiſſimis turbinibus & effreni procellarum licentiâ labefa-  
 ctatis terræ viſceribus impacti anguſtò fretò diſciderunt, niſi  
 graviſſimis autoribus fidem detrahare velimus, tribus in æquor  
 promontoriis excurrens à triangulari figurâ varias appellati-  
 ones ſortitur. A Græcis quippe *Θεινακίη* 1) *Τεινακίη* 2) *Τειγω-*  
*νος* 3) *Τειγλώχι* 4) *Τειδειεργς* 5) *Τειπλευεργς* 6) *Τεικίενης* 7) *Τειλο-*  
*φος* 8). A Latinis Trinacria 8) Trinacris 9) triſulca 10) tri-  
 quetra 11) ſalutatur.

§. 2. In hæc protuberat Ætna, nobiliſſimus Sicilia mons, 12)  
 hodie *Monte Gibello* & contracte *Mongibello*, quam *Birichen Serapio*  
 vocat juxta Ortelium 13) *calebs* & nullius montis, niſi quos  
 viſceribus ſuis edidit, conjugium dignata. Cujus nomen  
 evolvens *Idorus*, 14) *Ætna mons*, inquit, *ex ſulphure & igne di-*  
*ctus, unde & Gehenna*. Quibus verbis quid intendat, ne Nu-  
 mam quidem conjecturum puto, niſi vaticinantis Ægeriæ con-  
 ſultis oraculis. Dom. Mari9 *Niger* 15) *populos ex Ætnâ urbe ejectos*  
*hoc illi nomen dediffe putat*. Verùm nec hanc ſententiam firmò ſtare  
 talò poſſe convinci poteſt ex *Diodorò*, 16) qui refert *Hiero-*  
*nem Catanenſes & Naxios urbibus ſuis ejeciſſe, & Caraneam,*  
*civitatem inamutatò nomine appellaviſſe Ætnam*. Jam verò  
 & ante illud tempus Ætnæ montis nomen fuiſſe manifeſtum eſt.  
*Philotheus* 17) Ætnam vel ab incendiis ſempiternis, vel ab *Æt-*  
*nâ Palicorum genitrice* nomen traxiſſe putat. Innuit dubiò pro-  
 cul Ætnam Jovis amicam, quam montis hujus præſidem cre-  
 diderunt, & aliò nomine *Thaliam* ſalutârunt. Quam fabu-  
 lantur quum Jovis compreſſu gravida Junonis metu, ut terra  
 dehifceret, optaviſſet, impetratis votis ſub terrâ gemellos eni-  
 xam

- 1) Hom. Odyſſ.
- 2) Dionyſ. Orb.
- 3) Strab. lib. 6.
- 4) Orph. Ar-  
gon.
- 5) Lycophron.
- 6) Mart. He-  
racl.
- 7) Nonn. lib. II.
- 7) Id. lib. VI.
- 8) Cl. l. de rapt.
- 9) Ov. V. Met.
- 10) Claud. l. c.
- 11) Lucr. lib. I.
- 12) Sen. lib. VII.  
ep. 52.
- 13) in theſaurò  
Geographicò.
- 14) lib. XIV.  
Orig. cap. 8.
- 15) in Descript.  
Sicil.
- 16) lib. XI. Bibl
- 17) in topogr.  
Ætnæ.



xam. Qui prodeutes Diu Palici quasi πάλιν ἰκόμενοι dicti sunt.

Πάλιν γὰρ ἴκασ' ἐκ σκοτίας τὸ δ' ἐς Φάος, ut habet Æschylus in trag: de Ætnâ. Illis autem prodeutibus Divinus honor exhibitus est, & fanum magnificis sumtibus extructum. Cujus & Fazelli 18) temporibus superfuerunt monumenta, sicut & illius urbis, quam, annotante Diodorô 19), juxta Palicorum templum Ducetius Siculorum Dux condidit & ab illorum nomine Palicen appellavit. Nec procul inenarrabilis profunditatis crateres fuisse meminit Diodor. loc. cit. qui lebetum instar suppositis ignibus æstuantium ebullientes aquas interdum etiam immensi incendii scintillas eructaverint, illamque sulphuream colluuiem nunquam vel superfusam vel subsedisse, sed stupendâ vi in altum se extulisse. Unde Ovidius: 20)

18) Faz. de rebus Sic. dec. l. lib. III. c. 2.  
19) lib. XI. Bib.

20) V. Met.

Perque lacus altos & olentia sulphure fertur  
Stagna Palicorum ruptâ ferventia terrâ.

Illos crateres Palicorum fratres crediderunt, & ipsos quoque superstitionisâ religione coluerunt. Ad illos enim dictorum fidem explorabant, & sanctissima juramenta præstabant. Et qui jusjurandum exigebat, libellum manu tenebat, & ediferebat suspecto ea, quæ jurejurando vellet confirmari: Reus, ut refert Polemon citante Macrobiô 21) oleaginum ramum vibrans, coronatus, saccinctus & tunicatus crateris extremitatem tangebatur & ita jurabat. Quanquam Aristoteles 22) refert, juramenti summam tabulæ inscriptam in fontem abjici solitam fuisse, illamque tabulam pejerante reo veluti pondere quodam depressam oculos hominum effugisse perjurô ignibus correpto: sin sine fraude jurasset in superficie fontis tabulam natâsse. Improvisa enim Numinis vindicta pejerantibus imminebat, ut Diodorus loc. cit. narrat, idque confirmat multos suis ipsorum exemplis docuisse implacabile perjurii piaculum expertos. Unde mirare possis, cur Virgilius placabilem Palicorum aram appellet: 23)

21) Sat. I. V. c. 19.

22) de admirandis.

23) 9. Æn.

— — — Symmathia circum  
Flumina, pinguis ubi & placabilis ara Palici.  
Verum rationem affert Macrobius loc. cit. *Quum enim*, inquit,





quit, *sterilis annus Siciliam arefecisset*, Divinò Palicorum responsò admoniti Siculi heroi cuidam certum aliquod sacrificium celebraverunt, & revertit ubertas. Quà gratiâ Siculi omne genus frugum con-gesserunt in aram Palicorum, ex qua ubertate ara ipsa pinguis vocata est. Eiusdem beneficii religione, docente Fazellò, perpetuâ lege sancitum est, ut hoc Palicorum templum non tantum servis fu-gitivis, sed etiam quacunq; calamitate oppressis tutissimum asy-lum esset. Quamquam Servius 24) ideo placabilem aram dictam putat, quòd quum Dii Palici initio humanis hostiis pla-carentur, postea mitiora sacra æqui bonique consulissent. Ceterum de Palicorum lacu ita Fazellus, 25) *Est in Menenino agrò, inquit omnium sermone celebratus Palicorum lacus, quem lib. 31. Ephinthiam Plinius appellat, Naphthia hodie dictus, triplici cratere ferventem & murmurantem perpetuò aquam ad tres cubitos ejaculans; cui supervolantes aves interire non tantum Appion scribit, sed & ipse re ipsa id didici.*

24) in Virg.  
Æn. 9.

25) Dec. I. lib.  
I. cap. 5.

26) In Illustratione thematum publicè prælecta.

27) Pyth. od. I.

28) in Cyclope

§. 3. Quæ derivatio, quamquam utcunq; tolerari possit, potiùs tamen vocabulum Ætnæ videtur origine Græcum id-que deductum à verbo *αἶθεω*, quod primò & proprie significat valde videor; (siquidem descendit à Præposit. *αι* & verbo *αἶθεω*) deinde ardeo, fulgeo, flammeò colore sum, uro, incen-do &c. ut docet Amplifs. & Excellentiss. Dn. M. Johannes Hornschuchius, Præceptor meus æviternum colendus. 26) Quas significationes omnes huc quadrare quilibet videt.

§. 4. Extremas Ætnæ radices ab Aurorâ Fretum Siculum in per-petuâ fluxus & refluxus inconstantiâ constans Scyllæis canibus & Charybdeâ proluvie famosum bacchantium fluctuum allisu diverberat: ad Occasum spectanti omnes illi tractus occurrunt, qui versus Sardiniam protenduntur: utque versus septentrionem Pelorum & Hephæstiadas insulas prospectat Tyrrheni maris insultibus allatra-tas: sic adversam partem intuenti prætentæ Pachyni rupes subjacent Jonii æstus rabiem respuentes.

§. 5. Quanta Ætnæ olim fuerit altitudo, con-jicere licet ex illo, quod à Pindarò *κίον ἔρανα*, id est, columna cœlestis appellatur. 27) Unde & Euripides 28) *αἰτναίων ὄχθον ὑπέραλον* vocat. A quâ altitu-dine nostris temporibus multum descivit. Quid verò nostris? Jam olim



olim Ælianus 29) & Seneca 30) facti sunt *Ætneae apices multo longi- 29) Var. hist. lib, VIII, c. XI.*  
*us olim navigantibus ostensos.* Tanta tamen adhuc Fazellii 31) tem- 30) ep. 80.  
 poribus fuit ejus altitudo, ut à remotissimis Calabriae regionibus con- 31) (dec. I. lib. II.  
 spici posset. Et paulò inferius, ascensum Ætnæ quàm brevior & diffi- cap. 4.  
 cilio via 20000, quàm longior & facilio 30000. pass. absolvi, ambi-  
 tum vero 1000100, passus continere testatur. Et iterum paulò infe-  
 rius, ubi summum cacumen describit, *hic Sol subter nos, inquit, mun-*  
*do oriri visus est, hinc Siciliam omnem contemplati sumus, fretum &*  
*universa Calabriae ora adeo sub oculis jacebant, ut manu posse tangi vi-*  
*derentur &c.* Eodem ferme modo Bembus 32) *Ætna quanta est, inquit, 32) in dialog. de aetna*  
*nemo scit, qui non videt. Brutia ora adeo sub oculis jacet, ut eò posse re-*  
*trahere pene jactu lapidis putes, serenâ tempestate etiam Neapolita-*  
*ni tractus extimantur.*

§. 6. Mons ipse radices suas in orbem ferè deducens nisi  
 sicubi orientem versus & meridiem promissò clivò paulisper ex-  
 tenditur *pyramidis figuram* repræsented, & à Siculis Scriptoribus  
 in tres plagas *pedemontanam, nemorosam & apertam* dispesci con-  
 suevit.

§. 7. *Imè radices* tophaceis colliculis suspensæ frequentib9  
 oppidis & pagis nobilitantur. Hic viridissimæ segetes, & nus-  
 piam felicior in gramina terrarum luxuries, ut credas, hic Di-  
 tem Proserpinam flores legentem rapuisse. Passim variæ ar-  
 borum species & ad umbras crescunt & ad alimentum. Passim  
 tripudiantes rivuli in vicinos saltus latissimâ ubertate exu-  
 dant, quorum connubiò maritatae gravidæque glebæ Bacchum,  
 Cererem, Pallademque felici nisu parturiunt, & opimam co-  
 lono messem spondent. Unde Plinius 33) inter mira naturæ 33) lib, II, c. 103.  
 opera recenset *exilire fontes etiam in Ætnæ radicibus, flagrantis in-*  
*tantum, ut quinquagena & centena millia pass. arenas flammaram glo-*  
*bis eructet.*

§. 8. Quas imorum collium delicias asperitas *medii mon-*  
*ti* non exiguo horrore compensat. Qui densissimis nemori-  
 bus vestitus in multas hinc inde voragines dehiscit, ex quibus  
 olim fluenta ignea proruperunt multâ cinerum lapidumque  
 congerie coronatas & opertas in exiguos tumulos surgentium.  
 Hæc ut & summa inontis plaga extremâ fontium penuriâ labo-  
 rat,



34) id. XI. f. Cy-  
clop.

rat, quam tamen aqua liquatis è nivibus dimanantes ut cunctis mitigant. Quarum dulcedinem & jactabundus ille Cyclops Galatæ suæ fugienti commendat apud Theocritum. 34)

Ἐν τῷ ψυχρῷ ὕδατι τὸ μοι αἰ πολυδένδρον Ἄιτνας  
λευκὰς ἐκ χιόνος ποτὸν ἀμβρόσιον πρῶγμα.

§. 9. Tunc verò *summa iuga*, ex quibus liberrimus in omnem Siciliam prospectus, bacchantibus ignibus detrita & omnibus nemorum deliciis viduata nihil præter tophos denudatis & semiherbosis tractibus intersurgentes pumicumque cineribus permistorum confluvium ostendunt. Quorum in mediò terribilis quidam crater ad imum Tartari barathrum se coangustat, cujus intus parietes & lambentibus flammis exesi, & liquefactò sulphure delibuti, & similibus flammarum fomiti- bus incrustati modò inauditis aquarum irruentium præcipitiis susurrant, modò anhelantis & arreptas aquas exacerbantis Mulciberi gemitibus sibilant, modò horrendis spirituum conflictibus labant, modo terrificis tonitruum mugitibus fatiscunt. Hinc verò nunc sulphurea mephitis exhalatur, nunc atra fumi nubes longò tractu cœlum inficiens, nunc favillæ caliganti fumo permixtæ, nunc cineres aliique fœtus in Ætnæ matris uterò coalescentes nisu parientis expelluntur. Faville,

35) lib. III. c. 8.

referente Pliniò 35) *ad Catanam usque ferventes perveniunt, fragor Maronem & gemellos colles auditur: Tunc verò graviora quam de*

36) Argen. I. II.

*cœlo tonitrua audiuntur*, inquit Meleander apud Barclajum 36) *& populis terror, ne, quanta est, Ætna se solvat obruatque Siciliam. Catana vix multi operis aggere se tutatur urbs inter montem & mare opportunis sedibus si hæc pericula absint.*

§. 10. Nec verò horribiles barathri cavernæ bitumen tantum defudant, aut perenni sulphuris stillicidio Vulcanios carceres illinant: Sed non rarò *liquefacti scopuli* velut ignei rivî de vertice despumant, lentòque fluxu obvia queque delambunt, nec tantum pastorum casas, sed quicquid in cursu offenderint, in perniciem trahunt. Qui tamen recedente calore simul ac refrixerunt, pristinam paulatim sibi naturam reposcunt, & enervati flammis in lapidem fragilem velut glacies concre- scunt, usque dum alii torrentes ignei de vertice despument, qui-



6ri

quibus inter arenosam montis cutem & priora concreta fluentiam sibi mediam quarentibus & testudinis instar subterfluentibus priores rivi, qui concreverant, crepant, & disjecti non mediocres passim colles moluntur. Qualium incendiorum è veteribus Thucydides 37) Orosius 38) Appianus 39) & alii meminerunt.

37) lib. III.  
38) lib. II. & V.  
39) lib. V.

§. II. Tali torrente igneo paulò ante Fazelli ætatem per aliquot passuum millia devoluto etiam *Lognina* portus, de quo Maro: 40)

40) Æn. III.

*Portus ab accessu ventorum immotus & ingens  
Ipse, sed horridis iuxta tonat Ætna cavernis.*

Sic obrutus est, ut hallucinari Poëtam credas, quòd ingentem portum dixerit, in quo nec statio hodiè apparet.

§. 12. Tale proluvium etiam secundò annò post D. Agathæ obitum ex Ætnâ dimanavit. Quo tempore, referentibus Scriptoribus Siculis, Catanenses, qui tunc spississimis gentilitatis tenebris erant occæcati, quum fortè in D. Agathæ ob Christi fidem à Quintianò martyriò affectæ tumulum incidissent, & sequentem inscriptionem legissent:

MENTEM. SANCTAM. SPONTANEAM.  
HONOREM. DEO.  
PATRIÆ. LIBERATIONEM.

Apertò tumulò panniculum, cui corpus involvebatur, ignitis torrentibus objecerunt, qui statim velum reformidantes aliò cursum suum deflexerunt. Quo factum est, ut Catanenses postea Christi fide imbuerentur, & Ætnâ bacchante semper hoc incendiis velum in occursum ferrent. Quod factum sanè magis superstitiosam pietatè, quàm verum Dei cultum sapit. Sicut & aliæ fuerunt Veterum circa Ætnam *superstitiones*, qui, referente Pausaniâ, 41) vasa aurea & argentea intra crateres Ætnæ 42) lib. III. Lacon. projicere solebant, quæ si retrudebantur, exitium imminere putabant, sin minus, id boni ominis signum putabant.

§. 13. Aliud velum *pii illi fratres* ignitis Ætnæ torrentibus objecerunt, quos religiosâ parentum sarcinâ instante periculò gravatus, ignea fluentia Divinò separata discidiò obsidione innocenti ambire, ut Apulejus loquitur, quam pii exempli monu-

B men-





mentum lædere maluerunt. Illi à diversis autoribus diversis nominibus appellantur, & nulli pene intacti abierunt, digni

42) in epigrā.

43) Præter Cl.

conf. Stobæū,

Ælianum, plu-

tarchum, Au-

son. Strab. lib.

VI. autor. Æt-

næ, Sil. It. lib.

XIV. Val. max.

lib. V. c. 4 pau-

san. Phoc. lib.

X. autorem de

mundo: Apu-

lejū de mun-

do: Sē. lib. III.

de benef. Sol.

cap. XI. Mart.

epig. Rhod. lib.

XI. c. 7.

44) Pyth.

od. I.

45) Æn. III.

Claudiani 42) epitaphiō, quod illis erexit. 43).

§. 14. Audi quàm graphicè depingat hos incendii furores Pindarus 44):

Τὰς ἐρέυγονται μὲν ἀπὸ λαῶ

Τῆ πυρὸς ἀγνώταται

Ἐκ μυχῶν παχαι, ποταμοὶ

δ' ἀμέραιοι μὲν προχέοντι ῥόον καπνῶ

αἰθρῶν ἀλλ' ἐν ὄρφναισι πέτρας

Φοίνισσα κυλινδομένα φλόξ ἐς βαθεῖ-

αν πόντος φέρει πλάκα σὺν πατάγῳ.

Κεῖνο δ' Ἀφάισιο κρηνὲς ἐρπετὸν

Δεινοτάτης ἀναπέμ-

πει. τέρας μὲν θαυμασίον προσιδέ-

σθαι, θαῦμα δὲ καὶ παριόν-

των ἀκῆσαι.

In eundem ferme sensum Virgilius 45)

— sed horrificis juxta tonat Ætna cavernis,

Interdumq; atram prorumpit ad æthera nubem

Turbine fumantem piceo & candente favillâ

Interdum scopulos avulsaq; viscera montis

Erigit eructans liquefactaq; saxa sub auras

Cum gemitu glomerat, fundôq; exaltuat imô.

46) Saturn. V.  
cap. 18.

47) Gell. lib.

XVII. c. 10.

Quos versus Eustachius apud Macrobius 46) & Phavorinus

apud Gellium 47) præcipiti sanè judiciō nescio cujus absurdi-

tatis damnaverunt. Dicunt enim Virgilium in strepitu soni-

tuque verborum conquiendō laborantem omnia confudisse,

verba Pindari ῥόον καπνῶ αἰθρῶν interpretari volentem atram

nubem turbine piceo & favillâ candente fumantem crassè &

immodicè congesisse, id quoque quod Pindarus κρηνὲς dixerat,

ἀκῆρας per flammæ globos transtulisse, id quoque quod

dixerit: sidera lambit, vacanter & inaniter accommodasse, nec

non id enarrabile esse, quod atram nubem fumare dixerit can-

dente favilla, quum eâ, quæ candent, fumare non soleant, & quæ

sunt similes intempestivæ subtilitates, quibus quomodo occur-

48) in III. Æn. rendum sit, vide apud Lambertum Hortensium 48)

§. 15.



¶ 15. Sed nec illud omittendum, quod, quum candens hoc barathrum impatientes custodiae flammis per hiantis ruinas cacuminis attollat, Aetnaeus tamen vertex aeternis nivibus canescat. Equidem Gassendus 49) hoc sibi persuadere non potest. Dicit enim, licet Aetnam procul intuenti vertex canescens appareat, canitiem tamen illam esse posse ex circumfusis cineribus, praesertim quum ii, qui Aetnam propius accessisse a Strabone memorantur, retulerint, se non nivem, sed cinerei coloris collem vidisse, & pedes quoque in cinereo tumultu posuisse. At vero gravissimi Autores contrarium confirmant. Quid multis? ipse Strabo, 50) quem pro sua sententia Gassendus adducit, expresse testatur, in Aetna nives hyemare. Id confirmat Plinius 51) Aetna nivalis, inquit, hibernis temporibus egestumque cinerem pruina operiens. Unde Seneca in epistola ad Lucilium, 52) sed reservemus, ait ista, tunc quaesituri, quum tu mihi scripseris, quantum ab ipso ore montis nives absint, quas ne estas quidem solvit, adeo tuta sunt ab igne vicino. Magis id exaggerat Solinus, 53) mirum inquit, quod in tanta ferventis naturae pervicacia mista signibus nives profert, & licet vastis exundet incendiis, aprica tamen canities perpetuo brumalem detinet faciem. Ita invicta in utroque violentia nec calor frigore mitigatur, nec frigus calore dissolvitur. Noverat id Pindarus 54) qui propterea Aetnam nivosam & per totum annum nivis acuta nutricem appellat. Eleganter hoc nivis flammaramque connubium expressit Claudianus: 55)

In medio scopulis se porrigit Aetna perustis,  
 Aetna Giganteos nunquam tacitura triumphos,  
 Enceladi bustum, qui saucia tergora vincit  
 Spirat inexhaustum flagranti pectore sulphur,  
 Et quoties detrectat onus cervice rebeli  
 In dextrum levumve latus, tunc insula fundo  
 Vellitur, & dubiae nutant cum moenibus urbes.  
 Aetnaeos apices solo cognoscere visu  
 Non aditu tentare licet, pars caetera frondee  
 Arboribus, teritur nullo cultore cacumen.  
 Nunc vomit indigenas nimbos, piceaque gravatum  
 Foedat nube diem, nunc molibus astra lacescit

49) in Animadv. in meteorol. Epic. p. m. 1058.

50) Strabo. lib. VI.

51) lib. III. c. 8.

52) ep. 80.

53) c. XI.

54) Pyth. od. 16.

55) lib. de Raptu Prof.





Terrificis, damnisque suis incendia nutrit.  
Sed quamvis longo flammarum exuberet astu,  
Scit nivibus servare fidem, pariterq; favilla.  
Durescit glacies tanti secreta vaporis.  
Arcano defensa gelu, fumog; fideli  
Lambit contiguas innoxia flamma pruinas.

56) lib. XIV.

Eadem ferè ratione Silius : 56).

Ast Aetna eructat tremefactis cautibus ignes  
Inclusi gemitus pelagique imitata furorem  
Murmure per cecos tonat irrequieta fragores  
Nocte dieque simul, fonte è Phlegethontis ut atrè  
Flammarum exundat torrens piceaque procella  
Semiambusta rotat liquefactis saxa cavernis.  
Sed quamvis longo flammarum exastuet intus  
Turbine & assidue subnascens profluit ignis,  
Summo cana iugo cohibet, mirabile dictu,  
Vicinam flammis glaciem, aeternoque rigore  
Ardentes horrent scopuli, stat vertice celso  
Collis hyems, calidâ que nivem regit atra favilla.

Sed ne auritos tantum testes producam, habe & oculos. Sanè Fazellus loc. cit. expressè asserit, summam Aetnae plagam totam per hyemem nivibus refertam, per aestatem quoq; nullâ sui parte nec canitiae carere nec gelu. Nèc vero dissentit Bembus, nivibus, inquit, mons per hyemem, totus canet, cacumen nec aestate viduatur. Idem confirmat Philotheus de Homodeis, item alii quorum testimonia brevitate causâ non adduco.

§. 16. Dignum sanè naturæ miraculum, cuius perscrutandi gratiâ imperscrutabilem se fecit Agrigentinus Empedocles, quippe qui non procul à vertice testudinata sibi adiculam construere curavit, ab omni hominû consortio remotam. Cujus vel hodiè rudera supersunt, nisi lateritium illud vetustissimi fornicis vestigium, quod adhuc in Aetnâ reperitur, & Turris Philosophi nominatur, pro templi Vulcanii reliquiis habere malis, intra quod, Aelianô 57) teste sacer & inextinctus ignis à canibus asserabatur, qui piis & nullâ criminum labe inquinatis ad fanum accedentibus adulari & benignè gerere se solebant, impios & omni

57) de anim.  
lib. XI, c. 3.



omni scelerum contagiō pollutos latratibus & moribus impetebant. Quæ res occasionem quibusdam dedit, ut fabularentur, Empedoclem, quum penes homines immortalis haberī voluisset, in voraginem præcipitem se dedisse, alteram verò crepidarum, quas æreas gestabat, flammaram vi sublevatam & ejectam divulgatō consiliō hanc illi famæ opinionem velut invidisse. Unde Horatius 58)

58) in arte Poetic.

— — — Deus immortalis haberī  
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Ætnam insiluit.

CAPUT II.

De Insulis Æoliis & imprimis Lipararū  
Hiera, & Strongyle.

§. 1. Hos Ætneos ignes *Insula Æolia*, quas & Vulcanias, & Lipareas, & Thermesias, & Ephæstias appellant, quæ septentrionali Siciliæ lateri objectæ ceu fastigiati scopuli in Sicilia consistentibus apparent, occultis commerciis omnium consensu & mutuantur & subministrant.

§. 2. Quarum maxima *Lipare* Meligunis olim juxta Plinium r) dicta ignibus noctu conspicuis ardet Philosopho 2) teste Idemque confirmat Silius: 3)

1) lib. III. c. 9.  
2) de admirandis.  
3) lib. XIV.

*Nam Lipare vastis subter depasta caminis  
Sulphureum vomit exesō de vertice fumum.*

Ibi enim juxta Silentiarium:

Ἀφυσίες ἐστὶν ἄσθμα, Πέμπει λίθους θειώδεις  
Ὀνυκτίπερ παμφαίνων, Πολυψόφους βρογτώδεις.

§. 3. Sic & *Hieram*, quam alii *Therassiam*; alii *Thermiffam* alii *Vulcaniam*, alii *Sacram* appellant, quæ *Postium*: *Albin*: & *Q. Fabiō Labeone Cos: ex pelago emerfisse* Plinio 4) *Isidoro* 5) *Orosio* 6) & *Eutropio* 7) creditur, colle nocturnas flammæ evomentē celebrem, Plinius 8) attestatur. Ex hujus colle aliquando multum spiritus prodiisse *Stagirita* 9) consignavit, sulphuræa incrustatione delibutos lapides ingentesque flammaram globos elevantis totamque *Lipareorum* civitatem cineribus obruentis. De hac insulâ ita *Maro*: 10)

4) lib. II. c. 87.  
5) lib. XIV.  
6) Oros. lib. IV. c. 19.  
7) lib. IV.  
8) lib. III. c. 9.  
9) lib II. de Meteor.  
10) Æn. 9v.





*Insula Sicanium juxta latus, Aeoliamq;  
Erigitur Liparen fumantibus ardua saxis,  
Quam subter specus & Cyclopum exesa caminis  
Antra Aetnae tonant, validique incudibus ictus  
Auditi referunt gemitum, striduntque cavernis  
Strictura chalybum & fornacibus ignis anhelat.*

Confer Scholiasten ad illos Apollonii versus:

*Ἄλλ' ὁ μὲρ ἐς χαλκεῶνα καὶ ἄκμονας ἤρι βεβήκει  
Νήσοιο πλάγης εὐρὺν μῦθον,*

qui ex lib. X. de gestis Agathoclis annotat in Hierâ fuisse col-  
lem duobus crateribus horribilem, qui candefactos pumices  
aliasque materias evomendô tantos fragores ediderint, ut ad  
500. stadia potuerint audiri.

§. 4. Sed nec reliquas Æolias ab incendiis fuisse immunes  
passim ex autoribus cognosces. Ex quibus tamen hodie *Hie-  
ra* tantum & *Strongyle* liquidissimum fumum pallentesque  
flammas expirant, quas & Cluverius 11) è littore Siculô fatetur  
dispexisse.

11) in Sicil.  
Ant.  
12) lib. V.

§. 5. Pertinet huc quod Orofius annotavit, 12) *mare circa  
Æolias* aliquando sic efferbuisse, ut combustæ rupes liquefierent,  
tabulata navium torrerentur, pisces exanimarentur, homines-  
que, qui non longius aufugere poterant, visceribus recipro-  
catô anhelitu combustis suffocarentur. Nunc in Campaniam  
transeamus.

### CAPUT III. De Vesuviô.

§. 1. Mitissima cœli temperies, uberrima glebarum feraci-  
tas, hospitalitas maris, munitissimi portus, vitibus amicti  
montes, gratissimus Bajarum tepor aliaque deliciae ad luxum  
penè Campanos invitant. Quibus voluptatum fomentis &  
Hannibale jusque milites leguntur enervati.

*quum fortia bellô  
Inter delicias mollirent corpora Baja,  
Et se Lacrimas quâ vergit Gaurus in undas,  
Brachia Massylus jactaret nigra natator.*

§. 2. Hic



§. 2. Hic prominens *Vesuvius* hodiè Monte di Somma Floro <sup>1) lib. I. c. 16.</sup>  
<sup>1) pulcherrimus omnium & Aetnai ignis imitator</sup> versus meridiem  
 Tyrrhenos æstus bibit, versus auroram coeterasque plagas fre-  
 quentibus hortis & vineis ambitur. Hic verò

*Monstrantur Vesuvajuga atque in vertice summò  
 Depasti flammis scopuli, fractusque ruinâ  
 Mons circum.* <sup>2)</sup>

<sup>2) Sil. lib. XII.</sup>

Cæterum *Vesuvius* *Mæulus* Vibio sequestro dicitur, ubi tamen  
 Simlerus legit *Mævius* teste Orteliò. <sup>3) Scribitur aliàs etiam</sup>  
*Vesbins, Vesvius, Vesevus*, rarò *Vesusus*. Apud Galenum legitur <sup>3) in thes. Geo-</sup>  
 etiam *Besbins*, pro quo tamen Ambrosius Leo <sup>4) legit</sup> *Lesbins*. <sup>4) lib. I. de No-</sup>  
 Dicitque montem *Lesbium* vocatum, vel quod eum Lesbii pa- <sup>lâ.</sup>  
 triâ exeuntes aliquando tenuerint, siquidem & apud Solinum  
 legatur, *Lesbios* aliquando imperium maris tenuisse, ipsumq;  
 amissuros multò antea *Sibyllam Erythræam* monuisse: vel quod  
 hiante cacumine tanquam ore apertò cineres eructans vicinam  
*Vesevo* oram jugo miserè pervastet, non secus ac *Lesbii* con-  
 sueverint turpibus & obicænis dictis orationem inquinare, unde  
 proverbia nata sint: *Lesbizire, Lesbiiis digna* &c. *Besbium* au-  
 tem montem dictum putant vel à *Besbicò* *Pelasgorum* quodam  
 principe, vel à *Besbicò* gigantum duce, qui littora leguntur ex-  
 cavasse, & per mare saxa devolvisse, ut ostia *Rhyndaci* fluvii ob-  
 struerent. Alii contra vocabulum *Vesuvii* putant esse Latinum,  
 idque vel à *Vesuviiis* derivatum: (*Vesuvia* autem juxta priscum  
 aliquè *Grammaticum* idem sunt ac *favillæ*) vel ex tribus vocibus  
*ve, sus, i. e. sursum & via*, eò quòd arduum perficiendum sit iter  
 volenti *Vesuvii* cacumen superare. Ex hujus igitur apice nunc  
 caligans fumi nubes prorumpit, quæ non rarò vibratis flamma-  
 rum discursibus rupta in longas ignis figuras dehiscit, nunc fu-  
 liginosi lapides velut è tormentis in campos mittuntur, qui ju-  
 cundam soli faciem sæpe perverterunt.

§. 3. Hic mons, ut habet *Procopius*, <sup>5) à Neapoli stadiis abest</sup>  
<sup>5) lib. II. de hi-</sup>  
*septuaginta, in eamque urbem vergit & Boream versus, sed præcisus ille  
<sup>stor. Goth.</sup>  
*undique est. Inferiora ejus frequentibus sylvis umbrosa, superiora*  
*abrupta & penitus invia. Hujus in montis cacumine medio hiatus*  
*quidam profundior patet, ita ut conjectari sat possit in penitissima terra*  
 hunc*



hunc penetrare, ignemque ex infimâ parte existere quivis poterit conspiciari, qui in ejus voraginis supremum os procumbere auserit. Unde est flamma in semet fota altius excitatur, nulli tamen hominum negotium exhibet. Verum ubi sonitum mugienti similem mons ediderit, non longè post cineris vim quandam ingentem emittit, & si validior ingruerit ventus, sublimem adeò cinerem agit, ut spectari amplius non queat & defertur eò, quò proclivior ventus abstulerit, & in longinquam plerunque delatus regionem illabitur. Ferunt namque quum in Byzantium cinis hic semel incidisset, sic ejus loci homines terruisse, ut eò ex tempore ad nostram etatem annuis Deum supplicationibus placent & c. Et aliò locò 6) Ex ipsò montis culmine in Aetna morem fluidus ignis descendens magnâ illuvie ad radices usque protendit, fluentisque aqua similis, quâ fortè defertur universa absumit.

6) lib. III.

7) lib. IV.  
Epig. 44.

§. 4. Id jam olim conquestus Martialis: 7)

*Hic est pampineis viridis modo Vesuvius umbris*

*Presserat hinc madidos nobilis uva lacus.*

*Hac juga quàm Nysæ colles plus Bacchus amabat,*

*Hic nuper Satyri monte dedere choros.*

*Hac Veneris sedes Lacedæmone gratior illi,*

*Hic locus Herculeò nomine clarus erat.*

*Cuncta jacent flammis & tristi merse favillâ,*

*Nec superi vellent hoc licuisse sibi,*

8) lib. V.

9) lib. IV.

Siquidem vertex, qui Strabonis 8) & Diodori 9) temporibus ab incendiis ita còquieverat, ut illi cessante materiâ extinctos planè ignes suspicarentur, postea iterum vehementissimè conflavit, & vicinos agros depopulavit. Cujus cladis frequenter

10) IV. Annal.

Autores meminerunt, & inter alios Tacitus: 10) prospectabat pulcherrimum sinum, antequam Vesuvius mons ardescens faciem loci per-

11) Argon. IV.

verteret. Valerius Flaccus: 11)

*Sic ubi prærupti tonuit quum forte Vesuvi*

*Hesperia lethalis apex.*

12) II. Sylv. c. VII.

Statius: 12)

*Non adeò Vesuvius apex & flammea diri*

*Montis hyems trepidis exhaustis civibus urbes.*

13) IV. Sylv. c. 4.

Et iterum: 13)

*Hæc ego Chalcidicis ad Te Marcelle sonabam*

Lib.



Littoribus, fractas ubi Vespius egerit iras,  
Amula Trinacriis volvens incendia flammis.

Silius: 4.

Sic ubi vi cecâ tandem devictus ad astra  
Evomuit pastos per secula Vesvius ignes,  
Et pelago & terris fusa est Vulcania pestis.  
Videre Eoi monstrum admirabile Seres  
Lanigeros cinere Ausonio canescere lucos.

14) lib. XVII

Quibus horribile illud incendium innuere videtur, quod Dion  
15) & Suetonius 16) imperante Titô contigisse literis consignâ-  
runt: cuius cineres impetu primùm suo, mox ventis in Africam,  
Syriam, Ægyptum, Romam provoluti obruerunt altè campos  
& deprehensas segetes enecarunt. Quo tempore & *Herculanum*  
oppidum subversum est, & *Pompejanos* in scenicorum ludorum  
spectaculis occupatos repentinus ejectionum lapidum casus se-  
pelivit, qui unius theatri caveam totius civitatis urnam fecit.  
17) Sed ne hodiè Vesuvius furere cessavit, sic enim habent lite-  
ræ 3. Februarii hujus anni ex Neapoli per scriptæ: *Mons Vesuvius*  
*ejectis hactenus omnis generis excrementis hand vulgari agros clade af-*  
*fecit.*

15) lib. 66.  
16) in Titô,

17) Anton.  
Sanf. in Camp.

CAP. IV.

De Monte Novô, Phlegræis campis,  
Ænariâ, Epomeô, Prochytâ.

§. 1. Similem cladem prope Bajas aliquando contigisse  
veterum annales prodiderunt. Tellus enim inter Puteolos &  
Bajas horribicô rugitu diducta ejectione magnâ cinerum pumi-  
cumque copiâ non Tripergulanas modò balneas, sed omnem  
ferè Lucrinum lacum tot scriptoribus decantatum obruebat,  
& Avernum etiam non parùm contaminabat; Quo tempore  
*Mons novus* pronascebatur, Miseno non inferior, qui ex quo e-  
natus est, sæpè fumum flammisque eructavit. vid: Hieronymû  
Megiseri Delitias Neapolitanas c. 7.

§. 2. Sed & *Phlegræos campos* sc. *Vulcani Forum*, quod hodie  
*Solfataria* dicitur, frequentibus olim incendiis conflagrâsse  
C multa





lib. II.

multa indicia convincunt, & multorum testimonia confir-  
mant. Illos è veteribus egregiè descripsit Silius: 1)

— — — — —  
tum sulphure & igne

*Semper anhelantes coëtoque bitumine campos*

*Ostentat tellus, atro exundante vapore*

*Suspirans, ustisque diu calefacta medullis*

*Æstuat, & Stygios exhalat in aëra flatus.*

*Parturit & tremulis metuendum exsibilat antris*

*Interdumque cavas luctatur rumpere sedes*

*Aut exire foras, sonitu lugubre minaci*

*Mulsiber immugit, lacerataq; viscera terre*

*Mandit & exesos labefactat murmure montes.*

*Fama est Herculea prostratos mole Gigantes*

*Tellurem injectam quaterere, & spiramine anhelò*

*Torreri latè campos.*

§. 3. Sed & *Ischiam*, quam Veteres *Arimen*, *Inarimen*, *Ænariam*, & *Pithecusas* appellant (non obstante quod Ovidius *Inarimen* à *Pithecusis* distinguat) Campaniæ quondam adhaerentem, postea gravissimò terræ motu velut à corpore divulsam, ad eòque nunc Tyrrheno pelago inclusam, similes ignis eruptiones exercent, quibus & *Chalcidenses* & *Eretrientes* devexatos ex insulâ demigrâsse Strabo consignavit. Cui egregiè fidem facit locus ille terribilis, qui mille passibus ab *Ischia* civitate distans ab antiquæ ruinæ vestigiis (dicitur enim *Cre-mate*) nomen servat. Qui regnante *Carolo II.* quum anhelans diu ignis reluctantis terræ compagem dirupisset non modicâ sui parte combustus provolutis in sublimè flammis, cineribus, saxis cœlum obscuravit, quod in cendium per duos menses duravit, quo factum ut multi homines & animalia perirent.

lib. V.

§. 4. In hujus insulæ medio situs est mons *Eponesus*, quem citante Strabone 2) incendia evomuisse *Timæus* tradit.

§. 5. Nec *Prochytam*, quæ non ab *Ænea* nutrice sed quod ab *Ænariâ* aliquando veluti profusa sit, sic appellata vetus adhuc nomen servat à talibus incendiis immunem elicitur vel ex eò, quod



quod & illi Gigantem aliquem subiectum Poetae fabulentur.  
Sic n. Silius: 3)

3) lib. 12.

Apparet Prochyte saxum sortita Mimanta.

CAPUT V.

De multis aliis terrarum montiumque  
incendiis.

§. 1. Flagrat in Phaselide mons *Chimera* immortalibus ac noctibus flammâ, cujus ignes aquis accendi terrâ vel feno extinguunt. Gnidius Ctesias tradit. Flagrant in Lyciâ *Hephaestii montes*, Baculo si quis ex illis accensit fulcos traxerit rivos ignium sequi narrant: Flagrat in Bactris *Cophanti* noctibus vertex. Flagrat in *Medis & Cestis* gente confinio Persidis: *Susis* quidem ad turrim albam eius caminis. Flagrant *Babylonia* campi, *Aethiopum* juxta Hesperium montem stellarum modo campi noctu nitent. Similiter *megalopolitanorum* agri flagrant. *Nymphaei* crater dira Apolloniatis suis portendit. Maximè ardet incendiò *Theonochema* Aethiopum jugum. Hæc Plin: lib. 2. c. 106. Subjectis *Aricie* arvis si carbo incidit, ardere terra consuevit. Id: c. 107.

Chimera  
Hephaestii  
montes  
Cophantus  
Mons in Medis  
& Cestis gente  
Susis.  
Babylonum  
campi.  
Aethiopum  
campi.  
Megalopolitanorum  
ager.  
Nymphæum  
Theonochema.  
Aricie arvis.  
Ubiorum  
ager.

§. 2. Cl: Nerone Val: Messal: Cos: in agrò *Ubiorum* sponte prorupisse flammam. Autor est Tacitus, 13. Ann: quæ nullis imbribus poterant extinguunt, donec inopiâ remedii & irâ cladis agrestes quidam eminus prius saxa jacerent deinde residenti- bus paulatim flammis propius suggesti fustium verberibus ceu feras absterrent, tandem tegmina & vestimenta injicerent quantum magis profana & usu polluta tanto magis oppressura flammam.

Ubiorum  
ager.

§. 3. In *Scotia* locus est vigesimus circiter lapidem ab *E-* denburgò, quem aream carbonum appellant, qui terrenò bitumine abundans ardet non sine magnò incolarum damnò. Agric. de nat: eor: quæ effl. ex terrâ c. 17. Ex *Florentiâ* Bononiâ proficiscenti ad dextram mons occurrit altus, qui semper fumum & flammam emittit. In Campania *Gaurus* incendia alit. Id: 16. c. 18. Ad *Egnatiam* oppidum Salentinorum est saxum

Locus in Scotia  
Mons in Italia  
Gaurus.  
Saxum ad Egnatiam.



saxum, in quod silignum fuerit impositum, continuo flammæ  
 existunt. Id: 16: c. 19. Inter Theram & Therasiam, quæ sunt e  
*Cycladibus* ex mari refert Strabo exiisse flammæ per dies quatuor.  
 Idem prodidit in Messeniis juxta *Methonen* oppidum ex  
 eruptione flammæ tantum calorem exortum, ut nemo ad  
 illum locum accedere posset. Non procul à *Methana* Antigon  
 ni Regis tempore erupisse ex terrâ ignes tradit Pausanias, qui  
 bus extinctis fontes calidi iique falsi exierunt. In Ciliciæ  
 ad *Ageum* montem campis ad multa stadia fossæ sunt arden  
 tes. Id: ib: c. 21. In *Mutinensi* agrò in *Pamphilia* & *Libya* cam  
 pis flammæ exeunt. Ipse *Atlas* noctu crebris ignibus micat Id:  
 ib: c. 22.

§. 4. Ferunt circa *Herculis columnas* incendia quædam  
 noctu, quædam & interdiu & noctu spectari. Ferunt circa *Ly  
 diam* immensos emergere ignes, diebusque septem ardere *A  
 ristot*: de Mirabil: Non longè ab Agrigentò ager est à *Mayba  
 ruca* Saracenicò adhuc nomine clarus, qui terram cinerulen  
 tam evomit. Faz: de reb: Sic: dec: l. lib: l. c. V.

§. 5. *Misenus* per tempora ardet. Bacc: de thermis lib: l. c. 18.  
 Mons *Ciminus* magnam ignis vim sub antris suis fovet, quam  
 Viterbium versus in totam planitiem diffundit. Ad *Petram ma  
 lam* manifesta sunt ignis spiracula. Colles *Euganeos* circa *A  
 poni balneas* arfisse olim multa vestigia convincunt. Id: ib: lib:  
 IV. c. 5.

§. 6. Totus tractus inter *Gabelli*, qui nunc *Secchia* vocatur  
 & *Idicis* amnium fontes ignibus scatet. Totus tractus circa  
*Scultennam* sive ut nunc vocatur *Panarum* amnem ad vicum us  
 que, cui vulgaris appellatio *Monte Gibio* oleo luxuriat inter  
 dumque ardet. Extitit ante LXXX circiter annos in  
 monte *Zibiò*, qui totus cavernosus est & bituminis plenus in  
 gens incendium. Flamma enim repentinò summi collis hia  
 tu in cælum emicuit, ignisque pluribus diebus arsit, donec,  
 consumtâ incendiî materiâ, ejecti cinerum lapidumque ac ter  
 ræ globi alium juxta confecere collem priore flammis absum  
 tò. Apertis postea temporis quibusdam pinguisimis fodinis  
 sub *Monte Festino* oppidò, quum *lychni* imprudenter admove  
 ren



rentur succensa repente materia operarios vis flammæ partim  
absumsit partim horrendis modis extra specum proturbavit.  
Est vicus vulgari vocabulo *Barugazza*, hunc in collis summa *Barugazza*  
planitie fumo interdium, noctu etiam scintille lambere cernun-  
tur. Cluver: in *Idal: Ant: lib: 1. c. 28.*

§. 7. *Olympus* singulis diebus per quatuor horarum spaci- *Olympus*  
um flagrat Steph: Ex montis *Idai* vertice crebri ignes micant  
Mel. lib. 1. c. 6. Sed ne in patriam injurius videatur, nunc etiam  
Germaniam & igni vomum ejus montem perlustrabo.

CAPUT VI.

De monte carbonum non procul à *Zvvickavia*  
opp. *Misnia*, & de agro ardente in  
*Stiria*, & *Weidâ*.

§. 1. Ad tertium ferè lapidem à *Zvvickavia* situs est mons,  
quem Linguâ vernaculâ *Colbergum* i. e. montem carbonum vo-  
cant. E cujus ardentibus fornacibus effoditur lapis terræ ca- *1) lib. II. de the:  
atr. nat.*  
lore excoctus ater & levis, quem *Bodinus* 1) terram pinguem,  
alii vulgò carbonem fossilem appellant. Hunc montem se in- *2) lib. II. de ort:  
& caus. subter-  
ran.*  
fantè *Ætnæ* aut *Vesuvii* instar arsisse meminit *Agricola* 2). Hunc  
etiam *Althamerus* 3) testatur se vidisse fumantem, quum è *Li-  
psia* *Zvvickaviam* profectus fuisset. *3) in Com:  
ment. sup:  
Tacit.*

§. 2. Hunc etiam An. C. 1479. quum venatorum aliquis  
vulpeculam persequens bombardam fortè in fodinam ali-  
quam explosisset, vehementer conflagrasse, *Tobias Schmidius*  
4) consignavit. Et subjungit hunc ignem per cuniculos subter- *4) in Chron:  
Cygnei parte  
posteriore.*  
raneos latè divagari, idque exinde manifestum esse, quod A. Æ.  
C. 1549. non exigua pars agri *Veidensis* apud *Variscos*. per du-  
os continuos menses conflagraverit. De quo extat illud *Fabricii*:

*Nec dedit hoc damnum pastor, nec fupuer igne,  
Vulcani per se ruperat ira solum.*

§. 3. Sic tempore *Maximiliani* in *Stiria*, quum pastores in-  
exasâ salice ignem instruxissent, ardere terra cœpit, & quum  
incendium serperet longius prata flagraverunt. Qui ignis  
ingestâ terrâ mox restinctus est, ut legitur apud *Agric. de sponte  
effl. lib. IV. c. 17.*

CAP.



CAP. VII.

De Montibus Islandiæ.

§. 1. Sed nec terræ gravissimis frigoribus damnata à talibus incendiis immunes. Siquidem *Islandia* tribus non exiguæ molis montibus celebris, quorum vertices æternis nivibus candicant, radices perpetuis flammis comburuntur, tantis caloris fomentis exuberat, ut indefessam igniū perennitatem arcanis instruat nutrimentis, & perpetuum flammis subministret incentivum. Quanquam Arngrimus Jonas 1) unum tantum in Islandiâ miraculosum constituit montem.

1) in Annt. Blef. part. 2. c. 5.

§. 2. Maximè autem celebris est *Hecla* mons, qui juxta Saxonem Grammaticum 2) rupem sideream perpetuæ flagrationis æstibus imitatus incendia sempiterna jugi flammæ rumeructatione continuat.

2) In præfat. Dau. hist.

§. 3. Quæ res multis persuasit, ut ibi *inferni ostium* seu spiraculum quoddam hiare suspicarentur puniendis animabus destinati. Quos Olaus Magnus 3) & alii in errore non parum confirmaverunt, qui retulerunt, animarum ibi spectra divagari, & acutissimas lamentantium querimonias audiri, humanæ vocis ejulatum æmulantes. Peucerus 4) addit nigerrima corvorum & vulturum agmina circumvolitare, quæ nidulari ibi ab incolis existimentur.

3) lib. III c. 3. & 4.

4) de Divinat.

§. 4. Magis id exaggerat Blefkenius, qui refert, piscatorem aliquem ignotū ab aliō piscatore obviam sibi factō quaesitum quis? & unde? respondisse, se Bremensem Episcopum ad *Heclam* deducere, postea verò compertum esse eōdem die Episcopum obiisse. Idem refert, si qui mortui fuerint & amicis post mortem compareant interrogantibus amicis: quorsum tendant? ad *Heclam*, respondere, & disparere.

§. 5. Idem narrat, *glaciem* magnâ copiâ insulam circa *Heclam* per tres continuos menses alluere, rumoremque per totam insulam vagari, damnatorum animas in hac glacie torqueri, illas enim alternis vicibus flammis & glacie torqueri. At paulo inferius, dicit se animadvertisse, vi ventorum

torum



rorum glaciem ad scopulos torqueri, & ita lugubrius quid e  
longinquo sonare, quasi, exaudirentur ibi, miserandi ejula-  
tus.

CAP. VIII.

De montium in Novô Orbe incendiis.

§. 1. Sed & in Novô Orbe multos Vulcanios montes re-  
periri, testantur illi, qui egregium illud Senecæ vaticinium:

*Veniunt annis*

*Secula seris, quibus Oceanus*

*Vincula rerum laxet, & ingens*

*Pateat tellus, Tiphysq, novos*

*Detegat orbis*

*Nec sit terris ultima Thule.*

præviô Numine & æternô nomine feliciter complevere.

§. 2. Ad urbem *Churultecal* in provinciâ *Tascaltecal* su-  
blimis mons est, cujus summum verticem diu noctuque fu-  
mus occupat. Juxta *Temistitan* primariam Mexicani regni ur-  
bem mons est ex quo fumus prodit, quem nullus ventus diffi-  
pat. Circa provinciam *Ciapotulam* mons est tantæ molis sa-  
xa eructans, quantæ sunt plaustra onusta. Ab hoc abest alius  
circiter ducent: mill. pass. qui visceribus suis ignes nutrit,  
qui propter hiatus amplitudinem non erumpunt. Ex mon-  
te *Nanavata* è pluribus specubus ignis manat. Talis etiam  
in vicô *Molabalo*, talis in Insulis *Canariis*, talis in Insula *Mal-  
macá*, talis in Insula *del Moro*, tales duo in provinciâ *Quahuie-  
mallam* deprehenduntur. Mons *Gvaxeval* ex hiatus ampliissi-  
mô ignem vomit. In *Nicaragua* multi sunt Vulcani ardentes.  
Ut de montibus *Mesajá* & *Popocampecha* nihil dicam, aliisque  
innumeris. Sed hæc hoc tempore sufficiant. Itaque theses lib. II, c. 106.  
has claudo epiphonemate Plinii:

TOT LOCIS TOT INCENDIIS NATURA RERUM  
TERRAS CREMAT!

S. D. G.

COROL.





## COROLLARIA.

- I. Ens per Accidens etiam ex meris entibus incomple-  
tis constitui potest.
- II. Nec tamen sic ens per accidens confunditur cum  
ente per se composito, quod etiam ex meris entibus in-  
completis componitur. Manet enim aliquod discrimen.
- III. Quicquid habet esse reale, semper etiam ha-  
bet esse cognitum.
- IV. Nam & quæ sub imis terrævisceribus delitescunt,  
semper actu sunt objectum potentia cognoscitivæ.
- V. Omnis causa Physica est naturalis.
- VI. Non omnis causa Physica est naturalis.
- VII. Non sequitur: Ignis est elementum levisimum:  
E. datur peculiaris ignis sphaera sub concavâ Lunæ.
- VIII. Non sine ratione dubitavit clariss. Barthius,  
lib. 49. Adv. c. 5. sine Cornelius Severus Autor Carmi-  
nis de Ætnâ, quod Virgilio carminibus postponi so-  
let.

FINIS.



Oa 1258.8

vd 18

ULB Halle 3  
002 702 584



TA-FL

Von


n.c.











B.I.G.

Farbkarte #13

v.

617.

3

UM IN.

DIIS

O PRIMA

ographica,

*submittunt*

*Martii.*

o Ioc LXIII.

ES

ITTIGIUS

. Elect.

S VVITTIGIUS

. C.

AE,

WITTIGAU.

